PLVTARCHI

DE PROVERBIIS ALEXANDRINORVM

LIBELLVS INEDITVS

RECENSVIT ET PRAEFATVS EST

OTTO CRVSIVS

LIPSIAE

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI

MDCCCLXXXVII

PRAEFATIO

§ 1. Codicum fontiumque conspectus.

Opusculi Plutarchei, cuius princeps haec est editio, memoria fataque cum coniuncta sint cum similibus quibusdam conlectionibus, ad ipsam rem priusquam accedo pauca mihi praefanda sunt de paroemiographorum condicione critica alio loco accuratius explicata [1]).

Zenobii igitur operi celeberrimo quarto vel quinto p. Chr. n. saeculo duae adiectae sunt proverbiorum conlectiones ad alium auctorem referendae: altera Plutarchi nomine insignis Alexandrinorum proverbia dicteriaque continens, altera anonyma (quamquam seriore certe aevo et ipsa Plutarcho est tributa) [2]) magnam proverbiorum molem complexa ad litterarum ordinem dispositorum. Quod quasi corpusculum paroemiographorum unum solumque ex omnibus huius disciplinae monumentis fere integrum ex antiquitate in mediam aetatem est delatum. Sed fortunae iniurias Byzantinorum inscitia superavit. Nam vir quidam doctus magistrorum discipulorumque commodo consulturus nono fere p. Chr. n. saeculo proverbia Zenobiana et Plutarchea ad litterarum ordinem neglegenter digesta cum conlectione illa anonyma atque cum lemmatum ordinibus e lexico depromptis con-

1) Cf. Analecta critica ad paroemiographos Gr., Lips. 1883; 'Die griechischen Parömiographen', Verhandl. der 37. Philologenversammlung zu Dessau 1884 p. 216—228.

2) Cf. quae exposui Musei Rhenani vol. XXXIX p. 604[3], infra § 2 p. XII[1].

iunxit totamque farraginem e quattuor fontibus compilatam unius Zenobii nomine inscripsit. Nova haec et depravata editio magno accepta est plausu. Ex ea enim non modo omnes quotquot sunt 'Zenobii' codices volgares sive secundarii pendent a Gaisfordo et Gottingensibus typis expressi (p b) [1]) sed 'Diogenianus' etiam (d) qui vulgo dicitur atque Gregorii Macarii Apostolii [2]) Suidae Tzetzae [3]) copiae potiores.

Itaque periculum erat, ne vera horum operum condicio alta ob-

1) Zenobii qui dicitur recensio Parisina (p) invenitur in editione Gottingensi vol. I p. 1—175, in Gaisfordiana p. 228—392; Bodleiana (b), quae proverbiorum copiam continet multo ampliorem, apud solum Gaisfordum legitur p. 1—120 (indicem habes in ed. Gotting. I p. 477). Cf. Anall. ad paroemiogr. p. 30. 42. Bodleiani lacuna (desunt proverbia inde ab 859 omnia) melius ni fallor quam ex Parisino consultis Vaticano 887 Schotti et Laurentiano LIX 30 potest expleri.

2) Paroemiogr. Gott. vol. I p. 180—320 (d), vol. II p. 1—52 (d^2); vol. I p. 349—378 (cf. vol. II p. 53—134); vol. II p. 135—227; p. 223—744. Cf. Fr. Brachmann, 'quaestiones Pseudo-Diogenianeae' (Fleckeis. annall. suppl. 1885, p. 340—415): qui Ps.-Diogenianum purum putum esse Zenobium volgatum (cf. Anall. p. 22 sqq.) accuratius exposuit atque Macarium cum epitome Vindobonensi (d^2: paroemiogr. Gott. vol. II), Apostolium et Gregorium cum Pantiniana (d) arta necessitudine coniunctos esse luculenter demonstravit (cf. p. 378).

3) Suidas praeter alia exemplari usus est cum Pseudo-Diogeniano cognato, nam multa solus transcripsit Ps.-Diogeniano peculiaria: cf. d 172, 173, 176—188 etc. (Anall. p. 24, Brachm. p. 343 sqq.); Diog. Vindob. 96 (p. 16) ἀτταγᾶς κτλ. = Suid. s. v.; Diogen. περὶ παροιμίας vol. I p. 179 Gott., Macar. (= d) 409 = Suid. s. v. χαρικῇ μούσῃ: unde explicantur Suidae haec: ἔρως . . . τέθειται ἐν τῷ περὶ παροιμίας ἐν τῷ ε̄ στοιχείῳ [cf. Ps.-Diogen. 349?], ἢ δ ὅς· καὶ παροιμία ἢ δ' ὅς κτλ. = b 489: de quibus falsus est Bernhardyus comment. p. LXXVI. — Tzetzam, qui Didymum et Tarrhaeum (ἐν παροιμίοις) citat chil. VIII 18, alphabeticam recensionem usurpasse Parisinae similem multis intellegitur indiciis: ita chil. VIII 18 ultimae conlectionis locus est, qui sub falso illo nomine legitur Zenob. p 83; chil. XII 784 hist. 442 coniuncta leguntur duo proverbia p 462 463 πάντα κάλων σεῖε [e lexico interpol.] πάντα λίθον κίνει [=Zenob. Mill. II 24].

livione obrueretur. Sed percommode accidit, quod aetate multo etiam recentiore — quarto decimo ut videtur saeculo — alter homo doctus [1]) exemplar vetustum nactus quae notatu digna ei viderentur pristino ordine non turbato exscripsit atque cum similibus excerptis grammaticis coniuncta publici iuris fecit. Quamquam in eis quae aetatem tulerunt exemplaribus alterius libri Zenobiani initium atque conlectionis alphabeticae inde ab ᾱν̄ pars longe maior omnino desiderantur: unde archetypo mutilato diasceuastam usum esse concludas. Quam recensionem recentissimam eandemque primariam unus celeber ille Milleri Athous (A), temere nuper a Koppio in suspicionem vocatus [2]), fidelissime repraesentat: nisi quod praeter particulas illas in archetypo omissas tertii libri Zenobiani exitus, totum opusculum Plutarcheum, conlectionis alphabeticae initium perierunt quaternionibus foliisque nonnullis elisis. Verum Byzantina haec excerpta cum nondum satis brevia nec concisa viderentur infimorum temporum scholasticis, ab alio iterum homine docto — sive indoctum dicere mavis — excerpta sunt omnibus fere amplioris doctrinae reliquiis amputatis. Quare huius notae codices

---

1) Planuden, cuius et proverbiorum recentiorum conlectio exstet (e Laurentiano nuper edita gemello Vaticano neglecto) et opuscula quaedam inveniantur in codd. AL, patrem excerptorum patravit Koppius 'Beitr. z. gr. Excerptenlitteratur' p. 45 63 not.

2) Libri s. s. p. 1—57. Cf. Croiset, 'revue critique' 1886 p. 430 sqq., Weil, 'iournal des savants' 1886 p. 658 sqq., Fresenius, DLZ. 1887, 9 sq., E. Zarncke, Centralbl. 1886 col. 1824 sq., nostra indicis philolog. vol. XVII 1887 p. 33 sqq. Accuratissima nunc utor codicis conlatione a Leopoldo Cohnio ad exemplaris mei margines adscripta. Cui χάρις ἀντὶ χάριτος ἐλθέτω. Addo, quod p. 62. 65 ipse Koppius se iugulavit. Ibi enim Laurentianum LVIII 24 proverbiorum conlectiones continere bene monet, quorum prima Laurentiani quarta sit, prima Athoi. Quidni igitur, vir iniquissime, testem quem citasti, voluisti audire? Nonne eum omni Athoum suspicione liberare intellexisti? Αὐτὸς γὰρ εὗρε τοῦ κακοῦ τὴν πιτύαν!

ubicunque Athoi adest auctoritas non magni sunt pretii: ubi deest, Athoi vice pro fundamento esse debent. Tales libri adhuc inventi sunt duo: alter Laurentianus LXXX 13 (L), iam a Bandinio cum cura descriptus, mira socordia a Gaisfordo et a Gottingensibus [1]) neglectus, nuper et a Fresenio usurpatus et a Jungblutio diligenter conlatus [2]); alter Vindobonensis phil. Graec. No. CLXXXV, olim Venetus Ericii [3]) (V), falso Didymi nomine a Nesselio indicatus, quem anno 1883 Vindobonae commorans inveni paucisque descripsi in actis Dessaviensibus p. 219. Laurentianus omnes continet proverbiorum conlectiones, sed ordine ita turbato, ut primum locum tertius Zenobii liber obtineat insequentibus proverbiis Alexandrinis, adiciantur paullo post insertis excerptis grammaticis alphabetica proverbia duoque Zenobii libri priores. Vindobonensis e libro fluxisse videtur eisdem turbis disiecto: nam duas illas quae priore loco in L leguntur conlectiones continet solas (Zenob. III [Pseudo-Plut.] fol. 2—5, Plut. prov. Alex. fol. 6 et 5 v°) tribus manibus scriptas (A fol. 2, B fol. 3—5, C fol. 6) additis fol. 66 sqq. exilibus excerptorum grammaticorum excerptis [4]).

---

1) In editione Gottingensi sola prima Laurentiani conlectio (= Zenob. A III) falso Plutarchi nomine inscripta invenitur vol. I p. 321—342, deprompta e Gronovii thesauro (praef. p. XXXV)!

2) Cf. Anall. crit. p. 2 sqq., Jungblut, Mus. Rhenan. vol. XXXVIII p. 394—420.

3) Fol. 1 v° legitur 'codex hic manuscriptus Graecus || pro Augustissima Bibliotheca Caesarea Vindobonensi || emptus est Venetiis A. 1672'. Fol. 1 r° monogramma pictum est adscriptis his verbis: '1497 die nono februarii Venetiis'. Lambecio (comment. II p. 954 sqq. IV 502 sqq.) teste Ericii Echini Veneti fuerat († 1585: cf. Jöcher, Lex. II p. 272).

4) Praeterea fol. 1ª festinante calamo haec sunt exarata: . . . καὶ εἰπόντος τινὸς καλὸς ὁ πῆχυς· ἀλλ᾽ οὐ δημόσιος ἀπεκρίνατο (nota sunt Theanus verba qualia traduntur a Plutarcho coniug. praec. 31 : cf. flor. Vindob. 166 p. 29 W.) — Paullo post: τελχῖνες οἱ

Denique librum Laurentiani gemellum et Erasmus chiliadum materiam conligens Venetiis (cf. chil. II 1, 1) excerpsit [1]) et recentissimus quidam homo Graecus amplae illius conlectionis auctor, quae et in corruptissimo Grauxii Scorialensi (σ) invenitur et secundum optimum exemplar typis expressa est ab Aldo (α) anno MDV [2]).

His copiis novum accedit subsidium Laurentianus LVIII 24 (L^z), saec. XIV, cuius memoriam feliciter nuper resuscitavit Koppius l. s. s. p. 62. 65. Continet enim Bandinio teste (vol. II col. 464 sqq.) post varia 'excerpta rhetorica ex Hermogene, Aristide, Sopatro, Longino, Plutarcho' loco XI p. 113 proverbia Aesopi a Leutschio vol. II p. 428 sq. ex alio codice Laurentiano expressa, atque 'alia ferme eiusdem

ψογεροὶ καὶ γόητες καὶ μαγικοὶ (expunctum) φαρμακεῖς. οὓς ἀμφιβίους λέγουσι καὶ παρηλλαγμένους ταῖς μορφαῖς τὰ μὲν γὰρ δαίμοσι τὰ δέ ὄφεσι ἐμφερεῖς γίνεσθαι (cf. fol. 66, 6. Suet. p. 417 Mill.). Quae cum eadem qua prov. Alex. manu (C) scripta sint adiecta esse apparet primi illius proverbii οἶδα Σίμωνα κτλ. inlustrandi causa. — Numeris omnino caret Vindobonensis. Sed ad margines codicis singulorum proverbiorum primae litterae ab alio librario (qui indicem proverbiorum alphabeticum conditurus fuisse videtur) sunt adiectae. — Inculcatus est fol. 7—65 alia manu scriptus aliisque paginarum numeris olim insignitus 'Zenobius' recensionis Parisinae nullius ni fallor pretii.

1) Cf. Anall. p. 5 sqq. Adde ad conlectionem alphabeticam referenda haec: chil. I 1, 65 sq.; 7, 58; II 3, 80; ad conl. Zenob. III spectantia: II 7, 74; II 9, 23; ad Alexandrina Plutarchi II 9, 39; 10, 56.

2) De Aldina ab editoribus nimis neglecta et Grauxio omnino ignota accuratius egi Anall. p. 31 sqq. Ceterum operam ne quis perdat, Vaticanum Graec. 961 (cuius notitiam Ilbergo debeo) s. XVI conscriptum nihil aliud continere moneo nisi Aldinae indices a nescio quo homine docto confectas (fol. 1—3 verba memorabilia ab α incipientia, ex 'Phurnuto', Palaephato, 'Heraclito', Oro [a fol. 59—141] excerpta; fol. 3—40 nomina et vocabula in proverbiis observata ad singulas alphabeti litteras digesta). — Atque ne ea quidem quae in Vatic. Gr. 112 leguntur s. XV ineunte scripta fol. 88^a sqq. ullius sunt pretii, sed excerpta e Suidae lexico: qualia haud scio an adhibuerit qui codicum α σ archetypum compilavit.

generis nullo auctorum nomine apposito, quorum initium: καδμεία νίκη· ἐπὶ τῶν ἀσυμφόρως νικώντων. τὸ Δωδωναῖον χαλκεῖον κτλ. [= Zenob. A 1, L 4] des. [additis scilicet excerptis philosophicis] ὅτι ἡ ψυχὴ πρώτως ἐνεργεῖ ἢ πάσχει, δευτέρως δὲ τὸ σῶμα.' Memorabile sane, quod prima Athoi conlectio primo loco legitur (cf. supra p. V[2]), quamquam proverbii illius enarratio exilior etiam est quam in Laurentiano Fresenii. Memorabile illud quoque, quod excerpta grammatica quibuscum haec paroemiographica coniungi solent, omnino desiderantur: quod silentio premere non debebat Koppius p. 64 adn. Itaque nova haec excerpta quantumvis misera et 'oscitanter exarata' suspicio est originem ducere ex archetypo qui sui fuerit iuris. Quare quod temporum angustiis ne hunc fontem exhaurirem impeditus sum, valde sane doleo.

Primariorum igitur codicum summa hoc indicatur elencho:

A[thous Milleri] (= L[aur.][2] ?)	L[aurentianus]	V[indobon.] olim Venetus	Erasmi Venetus fons Ald. (α), Scor. (σ)	Archet.
1. 89 prov. Inscr. ⟨Ζηνο⟩βίου ἐπιτομὴ κτλ.	4 fere 70 prov.	—	4	*I Zenob. 1
2. 108 prov. teste indiculo: 1—14 perierunt	5 fere 70 prov., inde a 15.	—	5	2
3. 175 prov. teste indiculo: 18—175 perierunt	1 (Pseudoplut.) 131 prov. subscr. πλουτάρχου προιμίαι αἷς ἀλεξανδρεῖς ἐχρῶντο	1 = L subscriptione omissa	1 subscriptione servata, cf. infra p. X	3
—	2 (Plutarchi prov. Alex.) 28 prov.	2 = L	2	II Plutarch. 4
4 conl. alphab. fragm. . . . αι — αν	3 αβ — αν		3	III alphab. 5

Ex tribus archetypi operibus paroemiographis pessima condicione utentem vides conlectionem Plutarcheam, quippe quae sola Athoi auctoritate et fide sit destituta. Quare priusquam totum illud paroemiographorum corpus adornandum susciperem, hanc potissimam particulam adhuc fere ignotam recensendam putavi et peculiari libello in lucem emittendam. Nam ut in quaestionibus quibusdam desperatis solvendis aliorum auxilio egeo, ita de universa qua usus sum ratione sententias expeto eorum penes quos est iudicium. Quibus si in difficillima hac provincia administranda laborem meum probavero, cetera quoque bene me gesturum esse licebit sperare.

§ 2. De recensione Laurentiana (LV_{α}).

Iam quem ad modum auxiliis meis usus sim paullo accuratius exponam. Ac primum quidem quae ratio intercedat inter duos illos primae classis codices — vel tres, si addis Aldinae (α) et Scorialensis (σ) fontem Aldina optime expressum — ex hac discrepantiae tabula facile intelleges:

	L	V		α (σ)
prov.			col.	
1	φύσει	φύσιν		cf. col. 147 (= p)
2	χρωμένου	χρωμένου	159	κρουομένου
	εἰς τοῦτο ἀπονοίας	εἰς τοσοῦτον ἀπονοίας		εἰς τοσοῦτον ἀπον.
	περὶ αὐλητίας	περὶ αὐλητικῆς		περὶ αὐλητικῆς
	ἐν κελαινη	ἐν κελαιναῖς		ἐν κελαίναις
	ὁμοίως κολάζεσθαι	οὕτω κολάζεσθαι		ὁμοίως κολ.
	ἀθήνη	ἀθηνᾶ		ἀθηνᾶ

	L	V		α
prov.			col.	
3	ὑπερβερεταία	ὑπερβερεταῖα		cf. col. 164 (= p)
	ὑπὲρ χρονίων	ὑπερχρονίων		
4	τὰ ἐκ παλαιᾶς	τῆς (corr. τοὺς) ἐκ π.	154	τὰ ἐκ παλαιᾶς
	τὰ χαλεπώτατα	χαλεπώτατα		τὰ χ.
5	συνεκήδευον	συνεκήδευον	66	συνέκαον
6	κλέαρχον	λέαρχον		cf. col. 98 (= p)
	ὑπ' ἀθάμαντος μανέντας	ὑπ' ἀ. μανέντος		
	μεγαραῖοι	μεγαρεῖς		
	ἴνους	ἰνοῦς		
7	πάσχουσαι δὲ	πάσχουσι δὲ	126	πάσχουσαι δὲ
	πρὸς αὐτὸν	αὐτὸν		πρὸς αὐτὸν
	ἅδου	ἅδου		ἄγους
8	τιμᾶται	τιμᾶται δὲ	156	τιμᾶται
	τρία ἐπιθύεται	τρίγλα ἐπιθ. [1])		τρίγλα ἐπιθ.
	τριόδοις εἰσίν	τριοβόλοις		τριόδοις εἰσιν
9	πεῖσαι	ποιῆσαι	82[1]	πεῖσαι
	ἔγκυον	ἔγγυον		ἔγκυον
10	ἕκαστον ἔθνος	ἕκ. ἔθος		cf. 126 (= p)
	μόνον τὰς παρειὰς	τ. π. (om. μόνον)		
	ὅριοι	ὅρειοι		
	καυσιαι vel καίσιαι	καυσίαι		
	οὐδέμ . . . τι [2])	οὐ ͻ . . (μὴν?) τὶ		
	γεννωμένοις	γενομένοις		
	θειογέται vel θειοέται	θειοέται		
11	φασὶ	εἶναι φασί	117	φασίν
12	ληκήθου	ληκύθου	152	λυκήθου (ληκήθου σ)
13	λούσαις	λουσαι	114	λούσαις
16	τάδε γράμματα	τὰ γεγραμμένα	100	τά γεγραμμένα
	ἀπολλύναι	ἀποκτιννύναι		ἀπολλύναι

1) Eandem scripturam in Veneto suo repperit Erasmus II 9, 39 'cui quidem ob id ipsum **trigla** piscis sacrificatur'.

2) Jungblutius musei Rhen. XXXVIII p. 404: 'Buchstaben verwischt'; in prima codicis collatione, quam utendam mihi concessit: 'deletae sunt litterae tres ni fallor'.

	L	V		α
prov.			col.	
	ἀπήνεγκε	ἐπήνεγκεν		ἀπήνεγκε
17	ἕστηκας	ἕστηκεν		ἕστηκας
	βάγας	βάγας	50	βαγᾶς
	ἀχανής	αφανής (χ suprascr. m. 1)		ἀχανής
21	ἀνθρωπεία	ἀνθρωπίνη		ἀνθρωπεία
22	βασιλόν	βασιλικόν	52	βασιλικόν
	μεμφίται	μεμφῖται	139	μεμφίται
24	ἐνὶ ουλιοπόλει	ἐνιόυλιοπόλει	50	ἐν ἰουλιοπόλει
26	τραγωδιῶν ποιητήν	τραγωδοποιὸν ποιητήν	145	τραγωδιῶν π.
30	εἰς τὸν βίον	εἰς τὸν διόνυσον	155	εἰς βίον

Qua tabula percursa codices illos inter se non discrepare cognosces nisi in rebus levissimis. Atque fuit, cum Laurentianum communem ceterorum fontem esse credebam: nam prov. 10 litterae istae, quae evanidae sunt vel deletae in L, ne in V quidem satis distincte leguntur, itemque inverso Laurentiani ordine (Jungblutium si audis a bibliopego turbati) librarius Vindobonensis eo adductus videtur esse, ut solas priores illas conlectiones describeret. Verum haud pauca Laurentiani vitia ita corriguntur in codicibus V et α, ut coniectura ea sanata esse vix credas: exempli causa nomino τρίγλα prov. 8 emendationem certissimam atque τὰ γεγραμμένα, ἀποκτιννύναι prov. 16, quae Parisini et Bodleiani testimoniis confirmantur. Similia in ceteris horum codicum partibus observabis: quod huius non est loci pluribus exponere. Itaque non dubito quin tres illi libri e communi fluxerint archetypo vitiis istis et ipso laborante[1]). Ceterum Vindobonensis opus-

1) In Scorialensi (= Aldina) excerptum non esse ipsum Laurentianum Jungblutius p. 398 Warnkrossio concessit: quare etiam Vindobonensem, qui haud raro magis conspiret cum Aldina quam cum Laurentiano, sui iuris esse concedat oportet.

culum Plutarcheum Laurentiano melius servavit, siquidem XX locis veriorem scripturam exhibet, XV fere Laurentianus. Vindobonensem quoque superasse videtur Erasmi Venetus: omnia enim continebat, quae Laurentianus et fortasse plura [1]); titulo proverbiorum Alexandrinorum non carebat [2]); optimas quasdam Vindobonensis lectiones (cf. e. g. tabulam p. X not. ad prov. 8) Erasmo suppeditavit. Sed optimi huius libri, unde haud scio an Vindobonensis iste Venetiis oriundus descriptus sit, vestigia deleta et ego et amici frustra rimati sumus. Quare decurtatam hanc recensionem Laurentianam nominare placuit ex L codice, qui et primus inventus sit et plenior sit Vindobonensi.

§ 3. De codicibus volgatis.

Horum igitur codicum librum archetypum restituere non magni est laboris. Sed cave ne ipsam Plutarchi manum ita te adsequi posse putes: tam exili et fere barbaro stilo haud pauci loci conscripti sunt, velut ineptus ille qui est de Βάβυος si dis placet χορῷ prov. 2. Neque

1) Cf. not. inseq. et chil. I 2, 58 'τὸ φῶς ἡλίῳ δανείζει ... ref. in eis collectaneis quae Plutarchi nomine circumferuntur.' In L non invenio: exstat in 'Plutarcho' Boissonadii p. 345 Gott., quem ad ultimam Athoi conlectionem revocavi. Ceterum excerpti illius meliorem recensionem Jo. Ilberg in Marciano Ven. 486 fol. 341 invenit (cf. Vindobon. philos. Gr. 192 fol. 109v°) his verbis inscriptam: ἀπὸ τῶν παροιμιῶν τοῦ πλουτάρχου καὶ τῶν λοιπῶν ἀρχαίων σοφῶν ἐκλογὴ. ὅσα ἐπὶ τῶν ἀδυνάτων εἴρηται.

2) Cf. II 7, 74 'ἀμαῖα τὴν ἀζησίαν μετῆλθεν (Zenob. A III 69 [L 41, i. e. Ps.-Plut. Gott. p. 327]) ... Didymus auctor est, apud Troezenios etc. [deest. in L, invenitur in p] refertur a Plutarcho in Alexandrinensium proverbiorum collectaneis.' Itaque iam Erasmus subscriptionem istam falso ad tertium Zenobii librum rettulit.

tamen quanta licentia diasceuasta grassatus esset divinareris, nisi ceteras conlectiones cum Athoo liceret comparare atque hanc ipsam componere cum frequentibus quae in codicibus volgatis inveniuntur fragmentis. Volgata enim recensio Parisini potissimum et Bodleiani [1]) singula pleraque optime conservavit: itaque ubicunque a codicibus LVα longius discedebat, probandam eam putavi et pro sermone Plutarchi recipiendam Laurentianis in apparatum criticum relegatis, nisi aut aliis fontibus aut interpolatoris manu eam adulteratam esse certis argumentis poterat demonstrari. Omisi igitur quaecunque in ea Plutarcheis adhaerent ex Apollodori bibliotheca (p) vel ex aliis paroemiographis lexicographisque (p b d) repetita; neglexi immutata quaedam Parisini lemmata (cf. prov. 7. 16. 29); aspernatus sum integra nonnulla nomina propria, quae volgatae diasceuasta male doctus suo Marte substituisse videtur pro corruptis vocibus vel minus notis Laurentianae (p 135 Iuliopolis mutata est in Heliupolin, 425 Staphyli barbari Stymphali Graeco nomine appellantur, Issedones Scythes facti sunt Sidones etc.). Sed quo facilius utraque recensio opusculi in hac editione quasi contaminati posset cognosci, quae adscita sunt e codicibus volgatis cursivis quos dicunt typis describenda curavi.

1) Parisinum nuper contulit atque de Plutarchi locis quibusdam certiorem me fecit Leopoldus Cohnius. Bodleiani gemellus est Vaticanus 878 Schotti. Neque tamen ex eo est descriptus (cf. acta Dessav. 271[1]), sed cum in mira vitiorum ineptissimorum communione singula quaedam integriora servavit, tum lacunam qua b laborat (859 — extr.) simili ratione explet atque Parisinus 1773 a Bastio non satis accurate descriptus. E. g. profero, quod post 859 συστομώτερος ληκύθου (cf. 849) Plutarcheum legitur atque σελίνου δεῖται ὁ νοσῶν, post 861 σικελὸς ὀμφακίζεται (p 484, 715), post 893 prov. 896 invenitur, post 899 τί οὐκ ἀπήγξω κτλ. p 517, post 900 τιθωνοῦ γῆρας p 518 etc. Vaticani frater Laurentianus LIX 30 esse videtur, cum uterque codex novicia Planudae proverbia contineat.

Quamquam ne sic quidem genuinam huius libelli formam integram possumus restituere. Nam quod olim (Anall. p. 95) scripsi de Zenobio Athoo: 'universam operis speciem, praecipue lemmatum discriptionem numerosque, excerptori Byzantino deberi, in genuina autem forma singula proverbia et proverbiorum series disputatione continua coniuncta fuisse' — idem valet de Plutarcho Laurentiano. Vicina enim proverbia persaepe sensu inter se conexa esse universumque opusculum ad certae descriptionis normas dirigi quo quis accuratius inquisiverit eo magis intelleget. Quas rationes qui secutus est in copiis digerendis eundem ita eas non modo neglexisse, sed diruisse et oblitterasse in commentatione conscribenda credi non potest.

§ 4. Fragmenta e codicibus volgatis adsciscenda.

Iam ad quaestionem accedimus multo magis intricatam. Tres Zenobii libros Laurentianos ubi cum Athoo comparaveris, diasceuastam Laurentianum non modo locos quosdam contraxisse, sed capita haud pauca omnino omisisse facile observabis. Ita qui antecedit in L tertius Zenobii liber 175 proverbia continet in A, 131 in L; qui sequuntur Zenobiani libri primus et alter 89 et 108 proverbiorum sunt in A, fere septuagenorum in L: ut quarta fere tertiave archetypi pars oppressa videatur in L. Nobis cum Athous non adsit, circuitu quodam auxilium petendum est a codicibus volgatis, qui ex amplissimo fonte derivati proverbiorum copiis adeo non cedunt illi, ut eum superent. Qua de re cum et in Analectis (p. 123—127) et in actis Dessaviensibus (p. 224[2] 225[2]) accuratius disputaverim, summam nunc quam brevissime perstringam.

Habemus igitur et externa quibus Plutarchea expiscemur indicia et interna. Archetypus enim codicum volgatorum liber ita adornatus erat, ut proverbiorum quaedam series e quinque illis ordinibus genuinis repetitae sub singulis litteris plerumque se exciperent. Quare si locus quidam, qui in L desideratur, reperitur in codicibus volgatis inculcatus inter lemmata Plutarchea, summa probabilitati ad Plutarchum refertur; si Plutarcheis adnexus est vel vicinus, dubitare licet de origine, nisi argumenta ex ipsa loci indole petita rem conficiunt. Quae eo certiora possunt inveniri et firmiora, quanto magis haec conlectio discrepat a ceteris omnibus. Nam garrulo quodamet novicio dicendi genere narrantur in ea fabulae singulares a poetis Alexandrinis tractatae (prov. 1 sq. 6 sqq.), tanguntur res gestae Alexandri moresque Macedonum, quippe a quibus Alexandriae civitas originem ducat (3 4 26); prodeunt in scaenam sub finem potissimum libelli dei Aegyptiorum veterum atque reges (17 21 23 25), Ptolemaei cum novis Alexandriae dis tutelaribus regiaque familia (13 22 27 30), imperatores, artifices, grammatici, philosophi inter Alexandrinos nobiles (20 24 26 29). Similia ubi codices volgati praebent cum Laurentianis coniuncta, *explorata est origo Plutarchea nec minus certa quam eorum quae recensione Laurentiana traduntur.* Quibus rationibus adiuti quo fere loco singula exciderint plerumque possumus divinari. Neque tamen in opere funditus diruto et disiecto unam certamque sedem fragmentis illis ita semper adsignare mihi videbar, ut nullus dubitationi locus relinqueretur. Quare quaecunque e codicibus volgatis petita sunt additamenta altera acie Laurentianis succedere placuit incertis a certis asterisco praefixo secretis locoque ubi excidisse viderentur quam brevissime indicato.

Denique corollarii loco similia quaedam adagia e variis fontibus non tam conlecta, quam obiter excerpta et delibata composui, quibus non dubito quin istis litterarum monumentis accuratius perquisitis facili negotio haud pauca possint adgregari. Licet enim per alios scriptores ad nos pervenerint mutata et exornata, tamen vel ad Plutarchum vel — quod similius veri — ad auctorem eius magna saltem ex parte revocanda sunt atque supplementum huius opusculi nobis praebent haud spernendum.

§ 5. De fontibus libelli.

Ipsum enim Chaeronensem illum, qui pauculos menses Alexandriae hospes moratus esse videtur, haec proverbia vocesque ut aiunt pinnatas per Alexandrinorum ora volitantes aucupatum esse primumque litteris mandavisse nemo credet. Iam Seleucus Alexandrinus, qui Homericus audit vel Aristarcheus, teste Suida (s. v.) scripsit περὶ τῶν παρ' Ἀλεξανδρεῦσι παροιμιῶν [1]. Idem Aegyptia et Alexandrina multa, quae ipse observaverat, memoriae tradidit [2]; antiquitates Atheniensium enarravit [3] (cf. prov. 12 30 34), de moribus egit barbarorum populorum [4] (cf. prov. 10 48); opera condidit περὶ θεῶν, Apollodorum

1) Cf. M. Schmidtii disputationem 'Philologi' volumini III insertam p. 436—459. Quamquam a loco et corrupto et male explicato (Schol. Arist. Thesm. 840: cf. Suet. Claud. 28) profectus nec tempora recte computasse neque fragmenta satis circumspecte distribuisse mihi videtur. Paucis de Seleuco disputavit Müller FHG. III p. 500.

2) Athen. IV 172 D Σέλευκος ἐν οἷς περὶ τῆς παρ' Αἰγυπτίοις ἀνθρωποθυσίας διηγεῖται; Athen. I p. 21 D τῆς δὲ κατὰ τοῦτον (Memphin) ὀρχήσεως τῆς τραγικῆς … εἰσηγητὴς γέγονε Βάθυλλος Ἀλεξανδρεὺς (Augusti aequalis), ὅν φησι νομίμως ὀρχήσασθαι Σέλευκος (cf. prov. 24).

3) Scripsit enim περὶ τῶν Σόλωνος ἀξόνων (Suid. v. ὀργεῶνες): Schmidt p. 445.

4) Athen. IV 155 d Σέλευκος δὲ Θρᾳκῶν φησί τινας ἐν τοῖς συμποσίοις ἀγχόνην παίζειν κτλ.

ut videtur secutus (cf. prov. 8 17 23) atque περὶ τῶν ψευδῶς πεπιστευμένων (cf. 21) [1]), βίους conscripsit poetarum et philosophorum nobilium (cf. prov. 26 29) [2]), περὶ Ἑλληνισμοῦ· egit et περὶ τῆς ἐν συνωνύμοις διαφορᾶς, ubi etiam Macedonum habuit rationem (cf. prov. 29 3 5) [3]); denique Homeri interpres celeberrimus (cf. prov. 46 31 16) doctrinas Aristarchi fortiter defendit [4]), sed recentiores quoque poetas interpretatus est Antimachum (Suid. s. ὀργεῶνες) atque Euphorionem et Cleonem Alexandrinos, si iure Etymologici M. v. Εὔβύριον (cf. Meinekii Anal. Alexandr. p. 124) Schmidtius (p. 457) ei vindicavit (cf. prov. 5 sqq.). Itaque cum studiis eius et lucubrationibus tam apte congruit universa huius opusculi materia, ut summa rerum haud dubie referenda sit ad illum ip-

1) Ad prov. 8 init. comparandus est Apollodorus apud Athen. VII p. 325 B: cf. R. Münzel, de Apollodori περὶ θεῶν libris p. 34. ψευδῶς πεπιστευμένα (Schmidt p. 447) eum nominasse quae vulgo audiunt paradoxa admodum probabile.

2) Harpocr. s. Ὁμηρίδαι Laert. Diog. III 109. Cf. Schmidt p. 439.

3) Athen. III p. 114 B Σέλευκος μὲν δράμιν ὑπὸ Μακεδόνων οὕτως καλούμενον κτλ.: prov. 3 παρὰ Μακεδόσιν ὁ τελευταῖος μὴν ... Ὑπερβερεταῖος καλεῖται; sim. 5. Athen. IX 367. 398 Σέλευκος δ' ἐν τῷ πέμπτῳ περὶ Ἑλληνισμοῦ· ταὼς παραλόγως δὲ οἱ Ἀττικοὶ καὶ δασύνουσιν καὶ περισπῶσιν: prov. 29 εἴρηται δὲ καὶ παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς τὸ γρῦ κτλ. Ita **Irenaeus** (Suid. s. v. Εἰρ.) περὶ τῆς Ἀλεξανδρέων διαλέκτου scripsit ὅτι ἔστιν ἐκ τῆς Ἀτθίδος atque **Demetrius** Ixion τὴν μέσην ... ἐκτείνουσι Ἀττικοὶ monuit in libro cognominato (Athen. IX p. 393 B).

4) Cf. Schmidt p. 453 sqq. Athen. II p. 40 C Σέλευκος δέ φησι τὸ παλαιὸν οὐκ εἶναι ἔθος οὔτ' οἶνον ... οὔτ' ἄλλην ἡδυπάθειαν προσφέρεσθαι μὴ θεῶν ἕνεκα τοῦτο δρῶντας ... τοῦτο γάρ ἐστι τὸ 'δαῖτα θάλειαν'. Eiusdem fere farinae sunt quibus μερὶς οὐ πνίγει (cf. Italorum 'col poco si gode e coll assai si tribola') proverbium (18) satis inepte explicatur ... τὸ πρότερον οἱ δυνατώτεροι ... τὰς τροφὰς τῶν ἀσθενῶν ἥρπαζον ... διὰ τοῦτο οὖν ὁ διαμερισμὸς ἐπενοήθη. Cf. Apoll. soph. p. 56, 8 Bk. Et. M. 251, 30 δαίς παρὰ τὸ δαίω τὸ μερίζω ... ἡ μεριστὴ εὐωχία· τὸ γὰρ παλαιὸν διένεμον τὰς τροφάς (Ludwich, Arist. II 88[54]). A Seleuco igitur celeberrimum illud scholium (Il. A 5) Athenaeus I p. 12 F videtur accepisse. Cf. Ludwich l. s. s. p. 87 sqq.

sum, quemadmodum Zenobius Didymus est personatus. Praeterea ad Nicolaum Damascenum coniectura satis probabili bona saltem pars νόμων vel ἐθῶν παραδόξων refertur, quae sub prov. 10 explicantur [1]). Apio grammaticus Oasita ἐν τῷ περὶ μάγου citatur prov. 50 atque ex eiusdem Aegyptiacis et libello περὶ ἐπωνύμων alia fortasse sunt repetita [2]). Atque Apione quidem verisimile est iam Seleucum usum esse ut populari aequali familiari, cum praesertim Plutarchus nusquam testimonio eius utatur. Eundem etiam Nicolaum consulere potuisse concedendum est: sed illa Plutarchi mihi videntur esse additamenta, qui hunc auctorem sequitur Bruti c. LIII atque amicitiam cum Herode rege ab eo contractam praedicat quaest. conviv. VIII 4, 1. Verum eis quae ad manum mihi erant subsidiis singillatim haec persequi non licebat.

§ 6. De libelli origine.

Plutarcheum dixi hoc opusculum cum testimoniis apertissimis fisus, tum gravibus nisus argumentis [3]). Titulum enim qui in L (atque in codice Erasmi) legitur tertio Zenobii libro subscriptus πλουτάρχου παροιμίαι αἷς ἀλεξανδρεῖς ἐχρῶντο olim inscriptionem huius quae insequitur

1) Ad prov. 10 cf. Nicolaus FHG. III p. 456 sqq., fr. 122 (Sauromatae et Amazones coniunctae, unde vitium obortum in p), 125, 119 (καυσιανοὶ pro Trausianis) 120, 124. Idem de Euripidis vita (cf. prov. 26) fabellas vendidit fr. 113 p. 458.

2) Ad prov. 21 sq. cf. Ael. nat. an. XI 40 = Apio FHG. III p. 512 λέγει δὲ Ἀπίων ... κατὰ τὸν Οἶνιδα τὸν Μήνιδος βασιλεύοντα δικέφαλον γέρανον φανῆναι καὶ εὐθερῆσαι τὴν Αἴγυπτον κτλ.; id. ib. XVI 39, ubi notanda καὶ ἀσπίδας δὲ τετραπήχεις (cf. prov. 21) γίνεσθαι πολλάκις οἱ αὐτοὶ (Aegyptii, i. e. Apio) λέγουσιν. Cleopatrae fata (fragm. 45) et Nicolaus (p. 441 M.) et Apio (p. 513, 16 M.) enarraverunt.

3) Cf. Anal. ad paroemiogr. p. 12. 15, Acta Dessav. p. 225 sqq. Quae opposuit annalium Bursiani censor silentio praeterire possum. Ille enim de Pseudo-Plutarcho a Gottingensibus edito (Zenob. III) verba me fecisse opinatus est!

conlectionis fuisse, quicunque eam perlegerit facile sibi persuadebit. Adde quod in tabula Pseudo-Lampriae titulus recensetur simillimus περὶ τῶν παρ' Ἀλεξανδρεῦσι παροιμιῶν no. 142 p. 13 Treu. Qui titulus cum a Seleuco quoque adhibitus sit Suida teste (cf. p. XVI) atque disputationi continuae (cf. p. XIV) multo aptior esse videatur, certe genuinus est atque a diasceuasta Laurentiano eadem ratione corruptus, qua pro κατὰ τοὺς προπάτορας ἡμῶν (24) scriptum est κ. τ. πρ. Ἑλλήνων.

At haec testimonia confirmentur necesse est argumentis ex ipsa re petitis. Ac primum quidem illud praemuniendum est, e sermone vitioso vel hiante aut e sensentiis quibusdam ineptis ne quid concludatur de libelli origine: nam excerpta tenemus, non opus ipsum. Quamquam sunt loci, ubi Plutarchum sermocinantem audire mihi videar [1]). Ipsa vero universae commentationis indoles non modo nihil habet, cur ab auctore illo eam abiudicemus, sed certam et expressam notam ferre videtur ingenii Plutarchei. Nam studiis paroemiographicis, sicut ceteros illius temporis scriptores, sedulo operam eum dedisse singula fere libellorum eius capita testantur [2]); nec minus exploratum Alexan-

1) Proverbia fabellis lepidis verbose narratis (cf. 1 sq. 24 26 29 36) explicare solet Plutarchus, cf. Pelopid. 10, Sympos. V 1 p. 674 B. Item artis grammaticae seu paroemiologae vocabula ex parte satis notabilia etiam in aliis Plutarchi scriptis inveniuntur. Ita παροιμιάζεσθαι (1), quod vitat Zenobius, ille in deliciis habet; ἔνιοι (11) dicere solet, ubi ἄλλοι (οἱ) μὲν — ἄ. (οἱ δὲ) Zenobius (cf. Sympos. initium); μᾶλλον δὲ formula (36) utitur comment. Hes. fr. 48, quaest. Gr. 36. Praeterea singula multa colorem Plutarcheum habent, velut prov. 1 φήμην ἀπαλεῖψαι, 5 συγκηδεύειν, 11 μεταφράζειν, 12 γῆς ἐπίβαθρον (Sympos. VIII 7, 3), 24 κατὰ τοὺς προπάτορας ἡμῶν, 29 διαβόητος ἐπί all.

2) Amplas proverbiorum copias, quas non tam ex usu vitae quam e doctis commentariis hausit, componere incepi et inlustrare fundamentum paraturus quo nisis de alphabeticae conlectionis origine iudicium liceat proferre.

driae eum versatum esse (Sympos. V 5, 1) atque Aegyptiaca omnia et Macedonica summa admiratione amplexum [1]): quare non mirum quod quaecunque in hoc opusculo traduntur exempla historica paucis exceptis in ceteris Plutarchi scriptis possunt inveniri. Praeterea id quod proprium est huius libelli neque apud ullum alium invenitur paroemiographum — scilicet ut singulae sententiae pluribus exemplis historicis illustrentur vel varia rerum fabellarumque copia quasi involvantur undecunque congestarum — idem quam maxime est Plutarcheum. Cf. infra prov. 6 Ἰνοῦς ἄχη ... ταῦτα δὲ δηλώσει καὶ Μενεκράτης ὁ Τύριος (Pompei libertus: cf. Appian. belli civ. V 82); 10 νόμος καὶ χώρα, ubi viginti fere populorum instituta moresque recensentur; 13 λούσαιο τὸν Πελίαν ... ἐλούσαντο δέ καὶ ἄλλοι πολλοὶ κακῶς. Μάγαν μὲν γὰρ ... ὁ Θέογος λουόμενον καθήψησε ... Μίνῳ δὲ αἱ Κωκάλου θυγατέρες ἐπέχεαν ζέουσαν πίσσαν; 30 μηδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον, ubi et comoediae et tragoediae origines diligenter explicantur; 36 εὔνους ὁ σφάκτης, ubi Seleucus: αὕτη ἡ παροιμία προηνέχθη ἀπὸ τοῦ Ὀρέστου, ὡς καὶ Ὅμηρος ἐδήλωσεν ..., Plutarchus: ὁμοίως δὲ καὶ ἀπὸ Ἀντιγόνου τοῦ βασιλέως ... ἔτι δὲ μᾶλλον ἀπὸ Πτολεμαίου τοῦ Φιλοπάτορος. Eadem ratione Hesiodi sententias interpretatus est Plutarchus. Cf., ut ex magna exemplorum copia paucula ante oculos tibi proponam, Procl. ad v. 344 = Plut. comment. Hes. fr. 11 sq. p. 22 sq. Dbn.: 'πῆμα κακὸς γείτων'. ταῦτα καὶ διὰ τῆς ἱστορίας ὁ Πλούταρχος ἐπιστώσατο. καὶ γὰρ Αἰτωλοὺς καὶ Ἀκαρνᾶνας Ἕλληνας ὄντας καὶ γείτονας ἐκτρῖψαι διὰ πλεονεξίαν ἀλλήλους, ... καὶ ἐπὶ τῶν ἰδιωτικῶν γειτνιάσεων πολλὰ μὲν ἀγαθὰ συμβαίνειν διὰ ταύτας, ὡς ἐπὶ Φλάκκου καὶ Κάτωνος κτλ.; 12 Tzetz. ib. δείκνυσι τοῦτο Πλούταρχος. Θεμιστοκλέα γάρ φησιν ἢ Κάτωνα πιπράσκοντα τὸν ἀγρὸν λέγειν ὅτι ἀγαθὸν ἔχει γείτονα; 18 p. 24 ad. v. 366 'ἀρχομένου δὲ πίθου καὶ

1) Cf. Volkmann, 'Plutarch's Leben und Schriften' p. 34.

λήγοντος'. καὶ ἐν τοῖς πατρίοις ἐστὶν ἑορτὴ πιθοίγια, quae pluribus describuntur; fr. 21 p. 24 ad v. 378 'πλείων μὲν πλεόνων μελέτη' κτλ.: μήποτε δέ, φησὶν ὁ Πλούταρχος, ἐκεῖνο λέγει τὸ τοῦ Λάμπιδος κτλ. fr. 24 p. 25 ad. v. 421 'ὅλμον μὲν τριπόδην'. πολὺς ἐν τούτοις ὁ Πλούταρχος ἀμυνόμενος τοὺς γελῶντας τὸν Ἡσίοδον τῆς μικρολογίας, καὶ Πλάτωνα λέγων περὶ τῆς τῶν σκευῶν ... διειλέχθαι συμμετρίας, ... καὶ τῶν εὑρετῶν Πάμφων μὲν τιμᾶν (τοὺς ἀρχαίους), διότι τὸν λύχνον πρῶτος εὗρε κτλ.; fr. 37 p. 28 ad. v. 705 'μηδὲ κασιγνήτῳ' κτλ. ... καὶ ὀρθῶς ὁ Παναίτιος ... εἶπεν ... καὶ ὁ τῶν Σπαρτιατῶν βασιλεὺς πρὸς τὸν Ἀρκάδα τὸν ξένον κτλ. Itaque exempla illa historica et antiquaria addita videntur a Plutarcho amplis proverbiorum Alexandrinorum copiis a Seleuco sedulo conlectis et explicatis.

Accedit aliud argumentum idque gravissimum: temporum dico rationes. Commemorantur enim in hoc libello Ptolemaei recentiores cum Cleopatra; Pompeius, Antonius, Iulius Caesar; Iuliopolis oppidum prope Alexandriam a Romanis conditum; Dio philosophus academicus anno p. Chr. n. LVI interfectus. Eiusdem aevi fontes sunt libelli: nam Nicolaus Damascenus Augusti fuit aequalis; Apio grammaticus et a quo totus pendet hic libellus, Seleucus, Tiberio et Claudio imperantibus floruerunt [1]). Itaque cum homines commemorati resque narratae tum auctores exscripti temporum terminos vitae Plutarchi et attingunt neque excedunt. Cui argumento qui fidem habere dubitat recte credendi artem non didicit.

Haec typis iam expressa erant, cum miro Fortis Fortunae beneficio iucundissima mihi adfertur epistula Leopoldi Cohnii, qui Laurentianum LVIII 24 supra p. VII commemoratum se inspexisse scripsit: gemellum esse codicem Athoi et

---

1) Schmidtium de Seleuci temporibus errasse supra monui p. XIV[1]. Irenaeum (cf. p. XVII[3]) Hadriani aequalem fuisse evicit Hauptius op. II p. 435.

Laurentiani prioris atque omnes conlectiones continere pristino Athoi ordine, sed tam misere eas decurtatas et corruptas, ut nudum plerumque relictum sit lemma. Opusculi Plutarchei, quod descriptum perhumane mihi misit rogatus (de universo codice ceterisque quos contulit alio loco accuratius acturus), leguntur haec non tam excerpta, quam frustula disiecta:

L²		LV	Zenob. A
1	ὑπερβερετία . ἐπὶ τῶν ἐγχρονίων εἴρηται	3	—
2	ἰνοῦς ἄχη . ἐπὶ τῶν πάνυ λυπουμένων	6 }	—
3	εἰς ἄπληστον πίθον ἀντλεῖς . εἰς τὸν δαναΐδων πίθον	7 }	—
4	ἀτρέως ὄμματα . τὰ ἀναιδῆ καὶ παράνομα διὰ τὴν πρὸς τὸν θυέστην παρανομίαν εἴρηται. Cf. infra 31	—	—
5	ὄνω τις ἔλεγε μῦθον, ὁ δὲ τὰ ὦτα ἐκίνει. Deest explicatio. Cf. 32	—	—
6	ὄνος λύρας ἀκούει. Deest explicatio. Cf. 33	—	—
7	εἴποις τὰ τρία παρὰ τῇ αὐλῇ. Deest expl. Cf. 34	—	—
8	γράψαις πρὸς τὴν ἄρτεμιν. Explicatio infra loco 35 expressa	—	—
9	σὺν ἀθηνᾷ καὶ χεῖρα κίνει. Deest expl. Cf. 36	—	I 36
10	† αἰσώπειον αἷμα. Explicatio infra l. 37 expressa.	—	II 107
11	† ἀγαθῶν ἀγαθὰ κτλ. Reliqua l. 38	—	*d (conl. 5)
12	† ἄλις δρυός	—	I 16
13	† ἄλλην δρῦν βαλάνιζε	—	I 17
14	λούσαιο τὸν πελίαν	13	—
15	ἧλιξ ἥλικα τέρπει	15 }	—
16	καθ' αὑτοῦ Βελλεροφόντης	16 }	—
17	ἀφ' ἵππων ἐπ' ὄνους	19	—
18	τὸ δίωνος γρῦ	29	—

Primum tria illa proverbia 4 5 7 ante hos quattuor annos (Anall. p. 126 sq. 173) recte et Plutarcho me vindicavisse et priori conlectionis parti attribuisse non sine gaudio intellexi: unde ceterorum quoque quae altero loco leguntur proverbiorum auctoritas firmatur. Deinde sine dubitatione novum recepi prov. 8, quam exsecrandi vel devovendi formulam esse interpretor, sicut illud quod antecedit εἴποις τὰ τρία. Atque ne nonum quidem adagium, Minervae atque Dianae necessitudine cum octavo illud coniunctum, in suspicionem vocare ausus sum solo Zenobii consensu nisus: nam cum alia haud pauca quorum certissima est fides Plutarchus cum illo habet communia (12 14 18 21 30), tum in codicibus volgatis fabella legitur Plutarchi stilo utique digna. Contra adagiis 10—13 crucem praefigere non dubitavi. Nam a levissimis ut ordiamur quamquam apud Plutarchum vicina interdum proverbia ab eadem littera incipiunt (14 sq. 21 sq. 26 sq.: cf. Anall. p. 70), tamen quattuor lemmatum series in L non invenitur. Praeterea toto hoc loco nihil legitur neque Alexandrini neque Aegyptiaci atque ne in volgatis quidem codicibus ampliores servatae sunt enarrationes a Zenobio, conlectione alphabetica, lexicographo expilato alienae. Denique proverbia 7 εἴποις τὰ τρία et 8 γράψαις πρὸς τὴν Ἄρτεμιν (a quo pendet nonum) eandem fere sententiam habere apparet quam 14 λούσαιο τὸν Πελίαν: itaque quattuor illis proverbiis dissimillimis quae ipsa natura inter se consociata sunt vi divelluntur. Quamquam argumentis vix omnino opus est, ubi certissimo indicio invitus se prodit interpolator. Ad decimum enim proverbium Αἰσώπειον αἷμα contra morem suum Aristotelis nomen corruptum (ὡς ἄρης τὸ τελ), quod pro simili habuisse videtur adagio, adscripsit. Iam Aristotelis testimonium non legitur nisi apud Zenobium Athoum atque ut saepissime Zenobius auctoritate eius utitur, ita nunquam Plutarchus. Manifestum igitur habemus reum et confessum.

Ceterum ordo proverbiorum cum religiose sit servatus, genuina illa quae accedunt proverbia sex inter Laurentiani prioris capita 7 et 13 excidisse apparet: quod e codicum volgatorum testimoniis iam dudum conlegeram. Atque Ἀτρέως παρανομία (L^2 4) tam est conexa cum decimo proverbio νόμος καὶ χώρα barbarorum Issedonum vel Tauroscytharum humano carne vescentium more nefario, quam asinus fabellam vel lyrae modos audiens (L^2 5 6) cognatus est testudini Aesopeae prov. 11. Ergo inter L 10 et 11 Laurentiani alterius proverbia 4 (quocum fortasse coniungenda fr. 45 Εἰρὰς, 46 εὔνους ὁ σφάκτης) 5 6 (cum fr. 47) inserenda sunt. Eadem ratione L^2 7—9 cum et inter se et cum proverbio 13 λούσαιο κτλ. conexa sint, post 12 συντομώτερος ληκύθου (cui bene subiungitur L^2 7

εἴποις κτλ. ad publica instituta spectans) atque ante 13 ea addenda esse suspicor. Quae coniecturae quamquam satis certae mihi videbantur, tamen, ne statim quae tradita sunt confunderem et oblitterarem, interim Laurentiani prioris copias integras servare atque decem illa nova lemmata coniuncta adicere satius duxi, cum praesertim ne volgatorum quidem librorum symbola in ordinem recepissem atque totus locus typis iam esset descriptus. — Denique si quis miretur qui factum sit ut haec additamenta uno fere loco congregentur in L^2, nihil habeo quod respondeam, nisi vetus illud, non probabilia multa fieri videri probabile.

NOTARVM TABVLA

A	codex Athous Milleri (olim M signo notatus)	primarii
L	codex Laurentianus LXXX 13.	
L^2	codex Laurentianus LVIII 24	
V	codex Vindobonensis phil. Graec. CLXXXV	
p	codex Parisinus 3070^b	secundarii vel alphabetici
b	codex Bodleianus Gaisfordi,*b recensio Bodleiana ex Vaticano 878 (v) vel Parisino 1773 (p^2) suppleta	
d	recensionis quae Diogeniani nomine fertur codd. volgati	
d^2	recensio Diogenianea Vindobonensis XXXIII	
*d *d^2	recensiones Diog. ab Apostolio Gregorio Macario expilatae	
α	Aldina anno MDV edita	mixti
σ	Scorialensis Σ—I 80.	
(x)	selectae tantum lectiones	
⟨ ⟩	supplenda, [ ] delenda, | . . . | transposita	
*	proverbia auctoritatis minus certae; vocabula aut pauca aut plura (* * *) omissa	
* * *	proverbia omissa	
†	proverbia interpolata; loci nondum persanati	

Minuta quaedam (accentus signa vel ι subscripta omissa, sim.) non semper adnotavi. — Codicum volg. copias citare non soleo centuriatim — quod Erasmi est inventum perincommodum —, sed simplicibus numeris Arabicis; Romanis numeris Zenobii Athoi libri tres indicantur.

ΠΛΟΥΤΑΡΧΟΥ

ΠΕΡΙ ΤΩΝ

ΠΑΡ' ἈΛΕΞΑΝΔΡΕΥΣΙ

ΠΑΡΟΙΜΙΩΝ

ADNOTATIO CRITICA

TITVLVM περὶ τῶν παρ' Ἀλεξανδρεῦσι παροιμιῶν **integrum servavit Pseudo-Lamprias catal. 142 p. 13 Treu; πλουτάρχου παροιμίαι αἷς ἀλεξανδρεῖς ἐχρῶντο L, Erasmi Venetus (Zenobii libro tertio subscriptum): cf. praef. p. XII^2 XVIII.**

I.

1. οἶδα Σίμωνα καὶ Σίμων ἐμέ: Τελχίνων φύσει βασκάνων ὄντων (καὶ γὰρ τῷ τῆς Στυγὸς ὕδατι τὴν γῆν καταρραίνοντες ἄγονον ἐποίουν) δύο ἐγένοντο ἡγεμόνες, Σίμων καὶ Νίκων. ὑπερίσχυσε δὲ ὁ Σίμων κακοτροπώτατος ὢν ὥστε καὶ τὴν ἐπὶ Νίκωνι φήμην ἀπαλεῖψαι. *διόπερ οἱ παροιμιαζόμενοι μόνον τὸν Σίμωνα ὀνομάζουσι. λεχθείη δ' ἂν ἡ παροιμία* ἐπὶ τῶν ἀλλήλους ἐπὶ κακίᾳ γινωσκόντων.

* * *

2. *** τὸ Βάβυος χεῖρον: Μαιάνδρῳ τῷ ποταμῷ δύο ἐγενέσθην παῖδε, Βάβυς καὶ Μαρσύας· *ὧν ὁ Μαρσύας μὲν δυσὶ καλάμοις κατὰ τὸν Φρύγιον ηὔλει νόμον, ἑνὶ*

I. Primum locum triginta illa obtinent proverbia in codicibus LV servata: quae quamquam excerpta sunt ex opusculo pleniore, tamen descriptione pristina non violata ordinem a Plutarcho institutum sequuntur (cf. p. III VI sqq.)

1 Lα' V; p 441 (b 747 d 626, Suid. s. v. οἶδα, Τελχῖνες) | Lemma rhythmum prodit iambicum || 1 φύσιν V teste Meklero || 2 καταρραίνοντες b (Strab. 14, 601), καταραίνοντες LV καταρρέοντες p, Στυγὸς τῷ ὕδατι ῥαίνοντες γῆν ἠκάρπουν Tzetz. chil. VII 126 | ἄγονον LVb, ἄρνον p (ἄκαρπον Lobeck Agl. 1191) || 3 ὑπερίσχυε p | ὥστε τὴν (om. καὶ) p || 4 διόπερ — 5 παροιμία om. LV

Post prov. 1 fragmenta *41 βουλήσεταί τις μᾶλλον κτλ. et 42 Βουμύκου νῆες videntur excidisse.

2 Lβ' V, α col. 159; b 245 (p 381: v. adn.) || 6 **Βάβυος χεῖρον** Erasm. II 7, 39: τὸν βάβυος χορόν LVα, βάκυος χορός b (cf. adn.) | μαιάνδρου τοῦ ποταμοῦ LVα | ἐγένοντο παῖδες LVα | Βάβυς καὶ M. om. b || 7 ὧν ὁ M. — p. 4, 1 τοῖς αὐλοῖς b: καὶ ὁ μὲν βάβυς ἑνὶ καλάμῳ ηὔλει· ὁ δὲ μαρσύας δυσὶ κατὰ νόμον τῶν φρυγῶν. ἑκάστου δ' αὐτῶν ἴδιον χορὸν ἔχοντος καὶ τοῦ μὲν βάβυος ἀτακτότερον χρωμένου (κρουομένου α) LVα

δὲ μόνῳ ὁ Βάβυς. *ἀλλ' ὁ μὲν ἐπαρθεὶς τοῖς αὐλοῖς* εἰς τοσοῦτον ἀπονοίας ἦλθεν [ὁ Μαρσύας], ὥς καὶ τῷ Ἀπόλλωνι περὶ αὐλητικῆς φιλονεικῆσαι. ἀγανακτήσαντος δὲ τοῦ θεοῦ *εἰσπράττεται τῆς ἀπονοίας δίκην* ⟨καὶ⟩ ἐν Κελαιναῖς τῆς Φρυγίας *ἀσκὸς ἐξεδάρη.* μέλλοντα δὲ καὶ τὸν Βάβυν ὁμοίως κολάζεσθαι, Ἀθήνη *ἐπιφανεῖσα ἐξητήσατο ὑποθεμένη ὡς ἀφυῶς τῷ αὐλῷ χρᾶται.* ὅθεν * * *

3. Ὑπερβερεταῖα: *ἐπὶ* τῶν ὑπερχρονίων εἴρηται. παρὰ γὰρ Μακεδόσιν ὁ τελευταῖος μὴν τοῦ ἐνιαυτοῦ Ὑπερβερεταῖος καλεῖται.

4. Τὰ *ἐκ παλαιᾶς*: λείπει ἐνθάδε τὸ 'τῆς Τύρου'. Τύρον γὰρ τὴν παλαιὰν Ἀλέξανδρος ὁ Μακεδὼν *πολλῇ χειρὶ ἐπελθὼν* διέθηκε τὰ χαλεπώτατα, *ὥστε τὴν πόλιν κατασκάψαι, τοὺς δὲ πολίτας οὓς μὲν ἀνασκολοπίσαι, οὓς δὲ κατακαῦσαι. ἐκ τούτου γοῦν ἡ παροιμία ⟨λέγεται⟩ ἐπὶ τῶν κακῶς διακειμένων.*

5. δανάκη: τοῦτο νομίσματός ἐστιν ὄνομα, ὃ τοῖς νεκροῖς *ἐδίδοσαν πάλαι συγ-*

---

1 εἰς τοσοῦτον (τοσ. Vα, τοῦτο L) ἀπονοίας — 2 ἀγανακτήσαντος δὲ τοῦ θεοῦ LVα: καὶ πρὸς ἔριν ἀπονοηθεὶς ἀπόλλωνος b | ὁ Μαρσύας delevi ut profectum ab interpolatore: ante εἰς τοσ. legitur in Aldina || 2 αὐλητικῆς Vα: αὐλητίας L | φιλονικῆσαι α || 3 εἰσπρ. — δίκην om. LVα | ἐν κελαιναῖς (V: κελαίναις α, κελαίνη L) — 4 ἐξητήσατο LVα: κατὰ τὴν φρυγίαν εἰς ἀσκὸν ἀποδαρῆναι. ὁ δὲ βάβυς ἐρρύσθη τῆς ἀπόλλωνος ὀργῆς, μήτε ἐπαρθεὶς καὶ ἀ φ υ έ σ τ ε ρ ο ν α ὐ λ ῶ ν b, βουλόμενος δὲ καὶ τὸν βάβυν ἀνελεῖν ἀθηνᾶς ὑ π ο θ ε μ έ ν η ς ὡ ς ἀ φ υ ῶ ς τ ῷ α ὐ λ ῷ χ ρ ᾶ τ α ι ἀφῆκεν αὐτὸν p (cf. adn.): unde ἀσκὸς et ὑποθεμένη — χρᾶται verba deprompta || 4 ὁμοίως κολάζεσθαι Lα, οὕτω κ. V | ἀθήνη L, ἀθηνᾶ V, ἀθηνᾷ α | ἐξετήσατο α | Post ὅθεν (om. b) haec addunt LVα: ὁ χορὸς αὐτοῦ ὡς ἀ φ υ ὴ ς καὶ ἄφιλος ὀνομάζεται: quae explicatio fere tota est interpolatoris.

3 Lγ' V; p 530, b 928 (d 763) || 6 ὑπερβερεταῖα V p: ὑπερβερεταία L, ὑπερβερεταῖος b | ὑπὲρ χρονίων L | εἴρηται om. LV | περὶ p || 7 καλεῖται LV ἀνεγράφη pb.

4 Lδ' V, α col. 154; b 904 || 8 τὰ ἐκ π. Lα: τῆς (suprascr. τοὺς) ἐκ π. V, τὰ ἐκ παλαιοῦ b | ἐνθάδε et τῆς om. b, τὸ om. LVα | τυρος (suprascr. ν) γὰρ V || 9 πολλῇ — ἐπελθὼν om. LVα | τὰ om. V | ὥστε — 11 διακειμένων b: ὅθεν λέγεται ἐκ παλαιᾶς, ἤτοι ἐξ ὧν ἔπαθεν ἡ παλαιὰ Τύρος LVα: quae interpolatoris videntur || λέγεται suppl. Cr.

5 Lε'V, α col. 66; Suidas s. v. δανάκη | De lemmate cf. adn. || 12 ἐδίδοσαν πάλαι συγκηδεύοντες Suidas: συνεκήδευον LV, συνέκαον α

κηδεύοντες ʽνεὼς Ἀχερουσίας ἐπίβαθρον.᾽ *Ἀχερουσία δέ ἐστι λίμνη ἐν Ἅιδου, ἣν διαπορθμεύονται οἱ τελευτῶντες, τὸ προειρημένον νόμισμα τῷ πορθμεῖ διδόντες.*

6. Ἰνοῦς ἄχη: Ἰνὼ ἡ Κάδμου συνελθοῦσα Ἀθάμαντι δύο ἐγέννησε παῖδας, Λέαρχον καὶ Μελικέρτην, καὶ θυγατέρα Εὐρύκλειαν. οὗτοι ὑπὸ Ἀθάμαντος μανέντος κατετοξεύθησαν. μετὰ δὲ τοῦ Μελικέρτου ἡ Ἰνὼ ἔρριψεν ἑαυτὴν εἰς τὴν *πρὸς τῷ Μολουρίῳ* θάλασσαν· καὶ τὴν μὲν εἰς Μέγαρα προςβρασθεῖσαν Μεγαρεῖς ἀνελόμενοι καὶ πολυτελῶς κηδεύσαντες ἐκάλεσαν Λευκοθέαν· τὸν δὲ εἰς Κόρινθον * Κορίνθιοι θάψαντες Μελικέρτην * * *καὶ ἄγουσιν ἐπ' αὐτῷ ἀγῶνα τὰ Ἴσθμια. διὰ δὴ ταῦτα* εἴρηται Ἰνοῦς *ἄχη. ἄχος γὰρ ἡ λύπη ἀχανεῖς ποιοῦσα τοὺς κακῶς παθόντας.* | *Ἀθάμαντι δὲ μανίαν ἐμβαλόντες ⟨οἱ θεοὶ⟩ τὴν Ἰνὼ τοιαῦτα παθεῖν παρεσκεύασαν* | . *ταῦτα δὲ δηλώσει καὶ Μενεκράτης ὁ Τύριος* * * *

7. ὁ ἄπληστος πίθος: *ἐπὶ τῶν πολλὰ ἐσθιόντων καὶ γαστριμαργούντων. μετενήνεκται δὲ ἀπὸ τοῦ μύθου τοῦ περὶ τὰς Δαναΐδας, καὶ τοῦ πίθου εἰς ὃν ἀνιμῶσαι ὕδωρ βάλλουσι·* λέγεται *γὰρ* οὗτος ὁ *πίθος* ἐν Ἅιδου εἶναι οὐδέποτε πληρούμενος· πάσ-

1 ἐπίβαθρον Suidas: ὑπόβαθρον LVα (cf. infra prov. 12). Est fragm. Callim. 110 p. 379 Schn. | Ἀχερουσία — 2 διδόντες unus Suidas servavit.

6 Lς' V; p 338 (α col. 98 Suid. s. v. Ἰνοῦς ἄχη) | In p lemma omissum recentiore manu in marg. adscriptum est. || 4 λέαρχον Vp, κλέαρχον L | μανέντος Vp μανέντας L || 6 μεγαρεῖς Vp, μεγαραιοι L || 7 post Κόρινθον aliquid deesse suspicatus est Cr. || 8 καὶ ἄγουσιν — ταῦτα εἴρηται p: ὅθεν εἴρ. LV | καὶ p, del. α et Schneidewinus: lacunae signa posuit Cr. | ἰνοῦς Vp: ἴνους L || 9 ἄχος — 11 ὁ Τύριος om. LV || 11 Post Τύριος haec habet p: πέπονθε δὲ οὕτως ἰνὼ δι' αἰτίαν τήνδε: sequitur locus ex Apollodori bibliotheca excerptus, cuius ad finem delata sunt Ἀθάμαντι — παρεσκεύασεν, quae del. Schneidew., post παθόντας transposuit Cr. || De lacuna cf. Plut. Anton. 32, Appian. b. c. V 82.

7 Lζ'V, α col. 126; p 106, b 748 (b 449, d 95 627; Suid. s. ἀπληστία) || 12 ὁ om. p | ἐπὶ — 14 βάλλουσι om. LVb, excerpsit d (= Suid.) ἐπὶ τῶν γαστριμαργούντων, ἀπὸ τῶν περὶ τὰς Δαναΐδας πίθων. || 13 ἀνιμῶσαι etiam p teste Cohnio (ἀνικιῶσαι falso Gaisfordus) || 14 λέγεται — πίθος p: οὗτος λέγεται LVα, οὗτος ἐλέγετο b | ᾅδου α p: ἅδου LV

χουσι δὲ περὶ αὐτὸν αἱ τῶν ἀμυήτων ψυχαί, καὶ αἱ κόραι, ἃς *ἔνιοι Δαναΐδας λέγουσιν*, αἳ πληροῦσαι ἐν κατεαγόσιν ἀγγείοις ὕδωρ πρὸς αὐτὸν φέρουσι τετρημένον. *⟨ἐγ⟩γέγραπται δὲ τῷ πίθῳ 'ἀμυήτων'* * * * *λέγονται δὲ αἱ κόραι 'ἠπεδαναί', τουτέστιν ἀσθενεῖς παρὰ τὸ ἄπεδον* * * * δύναται δὲ *ἡ παροιμία* καὶ *ἐπ'* αὐτοῦ λέγεσθαι τοῦ Ἅιδου, *ὅτι πολλῶν πάντοτε θνησκόντων οὐδέποτε πληροῦται.*

8. τὰς ἐν Ἅιδου τριακάδας: τιμᾶται ἡ τριακὰς ἐν Ἅιδου διὰ τὴν Ἑκάτην *μυστικώτερον*, ᾗ καὶ τρίγλα ἐπιθύεται, * * *, *ἐπεὶ καὶ αὐτὴν τὴν Ἑκάτην φασὶ Τριτογενῆ εἶναι. καὶ γὰρ Ἀθηνᾶ καὶ Ἄρτεμις καὶ Ἑκάτη αἱ τρεῖς δοκοῦσιν ἓν εἶναι.* τὸ γοῦν μυστικὸν Ἑκάτη *ἡ Φερσεφόνεια* καλεῖται, τῶν ὑποχθονίων δεσπότις. ὅθεν καὶ ἀφιδρύματα Ἑκάτης πρὸς ταῖς τριόδοις ἐστὶ *καὶ τὰ νεκύσια τῇ τριακάδι ἄγεται. λεχθείη δ' ἂν ἡ παροιμία* | *ἐπὶ* τῶν περιέργων καὶ τὰ ἀποκεκρυμμένα ζητούντων γινώσκειν |.

9. ἐν παντὶ μύθῳ καὶ τὸ Δαιδάλου μύσος· Πασιφάην φασὶν ἐρασθεῖσαν

---

1 πάσχουσι V p b: πάσχουσαι Lα | αἱ κόραι LV: κόραι p, κ. δὲ b | ἃς δαν. λέγουσιν p, ἃς ἔνιοι δαν. φασὶν b: αἱ δαναΐδες LVα || 2 αἳ πληροῦσαι p α, πληροῦσαι b: αἳ πληροῦσιν LV | πρὸς αὐτὸν L, αὐτὸν (om. πρὸς) V | φέρουσι τετρημένον LVα: φέρουσαι τετριμμένον b || 3 γέγραπται — 4 ἄπεδον om. LVp || 4 παρὰ Gaisford: περὶ b | ἡ παροιμία — 5 ᾅδου pb: τοῦτο λ. καὶ ἐπ' αὐτοῦ τοῦ ᾅδου (ἄγους α) LVα || 5 ὅτι — πληροῦται p: πάντοτε ἀποθνησκόντων μὲν τῶν ἀνθρώπων, οὐδέποτε δὲ ἐκείνου πληρουμένου b, om. LVα

8 LηʹV, α col. 156; *b [vp²] 905 (d 739 Suid.) | Explicatio ἐπὶ τῶν περιέργων καὶ τὰ ἀποκεκρυμμένα (τοὺς ἀ. α) γινώσκειν ζητούντων lemma excipit in LVα, pristino loco servatur in codd. volg. || 6 τιμᾶται δὲ V | ᾅδου bα: ᾅδη LV || 7 μυστικώτερον om. LV | Quae sequuntur contracta videntur: cf. Athen. VII 325 B | τρίγλα Vα: τρία L, τὰ τρία *b (τὰ τρίτα Schneidewin) | ἐπεὶ — 8 ἓν εἶναι om. LVα || 9 ἡ φερσεφόνεια *b: περσεφόνεια (om. ἡ) LVα | δεσπότις *b: δεσπότης LVα || 10 ἀφιδρύματα ἑκάτης LVαν: ἀφιδρυμένη ἑκάτη p² | ταῖς τριόδοις *b: τοῖς τρ. L α, τοῖς τριοβόλοις V | ἐστὶ *b: εἰσὶ Lα, om. V || καὶ τὰ νεκύσια — 11 γινώσκειν *b: om. LVα, nisi quod explicationem ἐπὶ — γιν. ζητ. servaverunt lemmati adnexam.

Post prov. 8 fortasse excidit fragm. *43 Ἡλιάδων δάκρυα, ante vel post prov. 9 fragm. 44 βάλλειν μήλοις.

